

hoc tibi mancipium? *PA.* non malum hercle. *GN.* uro  
hominem. *PA.* ut falsus animist!

275 *GN.* quām hōc munu' gratum Thaidi arbitrare esse? *PA.*  
hoc nunc dicis

eiectos hinc nos: omnium rerum, heus, vicissitudost. 45

*GN.* sex ego te totos, Parmeno, hos mensis quietum reddam  
ne sursum dēorsum cursites neve usque ad lucem vigiles.

ecquid beo te? *PA.* men? papae. *GN.* sic soleo amicos.

*PA.* laudo.

280 *GN.* detineo te: fortasse tu profectus alio fueras.

*PA.* nusquam. *GN.* tum tu igitur paullulum da mi operaē: 50  
fac ut ādmittar

ad illam. *PA.* age modo, i: nunc tibi patent fores hae  
quia īstam ducis.

*GN.* numquem evocari hinc vis foras? *PA.* sine biduom  
hoc praetereat:

qui mihi nunc uno digitulo forēs aperis fortunatus,

285 ne tū īstas faxo calcibus saepe insultabi' frustra.

*GN.* etiamnunc tu hic stas, Parmeno? echo numnam hic 55  
relictu's custos,

nequis forte internuntius clām ā milite ad īstam curset?

*PA.* facete dictum: mira vero militi qui placeat?—  
sed video erilem filium minorem huc advenire.

290 miror quid ēx Piraeo abierit; nam ibi custos publice est  
nunc.